

AB

33846
33846



99K M

Le. 247


(009)


Theol.

O. VII 1253.

LIBET







V. CL.


IVSTI LIPSII
EPISTOLA,

DE
HISTORiarVM
LECTIONE




HELMÆSTADĪ,
Apud HENNINGVM MULLERVM,

CLC LC XLI.



re
N
pi
ti
A
re
G
ni
fa





I. LIPSII EPISTOLA
DE HISTORIA:

quotuplex ea, quo ordine & cura
legenda, & quæ ex illa ex-
cerpenda.

Ad historiam cum dare te
cæpisti, fateris hæere in pri-
ma via, & confusione rerum,
aut temporum, ignorantia eo-
rum, qua & quando legenda,
aut eligenda sint, pedem fige-
re, imò tædio aut desperatione panè referre.
Non fiat, mi Hac queuilli. opem imploras, pro co-
pia mea dabo: & si non plenè ductor (occupa-
tio & valetudo nunc abnuunt:) tamen dire-
ctor ero, & digitum intendam, quò & quâ con-
tendas. HISTORIA nobis proposita: quæ,
& cuiusmodi? nam variat: & summa eius di-
uisio est Mythistoria & Historia. Illa, quæ
fabulas vero mixtas: ista, quæ purum & me-
rum



I. LIPSII EPISTOLA

rum verum habet. In illa poëta sunt, & id genus: qui oblectamenta auribus animisq; quarunt, & florida ista veste ornant & augent corpus hoc veritatis. Veteres poëta, & rex eorum Homerus, pulchrè & sæpe utiliter fecerunt: cum arcanos sensus aut altiora dogmata hoc quasi velo obnubunt & tegunt. Sed hanc partem mittamus, non nunc adeundam: altera est vera historia: quam licet bifariam partiare. Est Naturalis, est Narratiua: sit venia sic loquenti, planè, si non purè. Illa est, qua natura faciem & facta reuelat, id est, rerum, stirpium, animalium ingenia, proprietates, vires tradit. Aristoteles, Theophrastus, Aelianus, Plinius fecere: & plures, quos æuam nobis subduxit. Narratiuam dico, qua res gestas, actionesq; prodit, sacras siue prophanas. Ideoq; à duplici hac materie iterum duplex, Diuina & Humana. Illa, qua religionem, aut quod adheret, tangit: hæc, qua res plurimum actionesq; humanas. Iterumq; ea duplex, priuata & publica. Nam aut singulorum res, vitam, virtutes, vitia recenset: & Priuata est. Aut qua publicè, plurium vsui aut noxa, sunt gesta: & Publicam appello. Omnes utiles: proprie

DE HISTORIA.

priè tamen, & distinctè, Naturalis scientiam,
Diuina religionem, Humana prudentiam, omnes
delectationem habent. Ad quas autem
te uoco? uelim ad omnes ire, sed in tempore.
Naturalem nunc seponamus. Narratiuam
ingero, quam uulgò & peculiariter Historiam
etiam appellamus. Ad hanc priusquam uenias,
duo præmittenda sunt, Geographia & Chronologia.
Illa, ut locorum, regionum, urbium
notitiam aliquam concilies: hæc, ut temporum,
quibus quæ res gesta. Sed communem dumtaxat,
& non illam exactam notitiam exigo:
satis sit mundi partes, situsq; distinguere: pro-
uincias, & in illis flumina, montes, opida clario-
ra nouisse. In temporibus etiam seriem eorum
& ordinem tenere, & uelut terminis quibus-
dam finire imperia, bella, euentus. Uelim equi-
dem, & tacitus sæpe opto, imò ipse meditor, esse
qui breuiter & compendio, & quod caput est,
iudicio, ab orbe condito uelut Fastos concinnet:
nec aliud quàm annos, & præcipua rerum notet
ac libet. Qui hæcenus fecere, aut confundunt
nimis, aut diffundunt: & nec notabilia aut lau-
dabilia tamen maximè excerpunt. Sed hoc dum
fiat, potes Eusebio uti, & nouellis quibusdam,

I. LIPSII EPISTOLA

qui herè & nuper prodierunt. At q̄ ista cum
parauimus, age ad ipsam iam Historiam: &
quam pramittimus? Pietas vult DIVINAM.
Facilis ea est, nec diu tenebit. Iudaica vetus
est, è libris sacris, Iosepho & eius interprete He-
gesippo petenda: nostra hæc noua, id est, Chri-
stiana, olim ex Eusebio, Sozomeno, pluribus;
nunc ex vno Casare Baronio adfatim haurie-
tur: & quid in diligentia viri tanta deest?
Imò ut supersit, vereor: ijs utiq̄, qui ex profes-
so Theologos non agunt, & sufficit uniuersè ini-
tia, progressum, dissidia, capita, & antistites
religionis nostræ scire. Non abruo, compendi-
um bonum exactissimi illius laboris sit, non sit
fortasse bono auctoris. Est & Miscella religi-
onis historia: ut Mahumetana, qua ma-
gnam orbis partem, à multis iam seculis, obti-
net, ut Sinensium, Indorum, & qui alij vanam
& simulachris seruam eam habent. Hæc quoq̄
carptim quis neget viro politico & experienti
libanda esse? sed, ut dixi, carptim. HUMANA
supere est: illa præcipua, quò te voco. Præter pru-
dentiam, & rerum peritiam,

Hæc tibi virtutum stimulos, hæc se-
mina laudum,

Hæc exempla dabit:

alibi

DE HISTORIA.

alibi uberiùs laudata & laudanda, nunc præ-
eunda. Duplicem eam feci, Priuatam & Publi-
cam. Ab utro ordiemur? A Publica ego cen-
seo: & hæc, ordinis doctrinæq; caussa, quadru-
plex iterum esto. Valde, inquires, diuidis. Fa-
teor, nec animi vel argutiarum caussa: sed
quia usu didici, nihil ad methodum, id est, vi-
am rationemq; docendi vel discendi, aptius &
efficacius esse. Itaq; Socratem sequor, Diuisi-
oni amicum: & cum illo diuinum virum ha-
beo, qui commodè & opportunè vtetur. Sed ad
rem, quadruplex hæc Historia: Orienta-
lis, Græca, Romana, Barbara. PRIMA,
qua primi aut prisci orbis res habet: cum nostra
hæc omnia inculta, aut infrequentia, & certè
obscura & ignota. Itaq; in Iudæis, Aegyptiis,
Aethiopicis, Syris, Persis, reliquâ Asiâ, res fe-
rè & nobiliores euentus tunc sistunt: aut si
quid admixtum, leue est, nec scriptione aut le-
ctione diuellendum. Hanc primò nosci suade-
am: & peti à Iustino breuiter: uberiùs deinde
ab Herodoto, Diodoro Siculo, & si qui Græcorum
eam suis miscent. Quædam enim Polybius,
Plutarchus, Zonaras, alij suggerent, huc appo-
nenda. Sed Diodorum ego laudo & approbo:

I. LIPSII EPISTOLA

utinam plenum, & ut scripsit, absolutum. AL-
TERA est, GRAECA. in qua Spartanorum,
Atheniensium, Thebanorum, & praecipue Ma-
cedonum res sunt: quos huc traho & includo.
Prater iam dictos, dabunt Thucydides, Plutar-
chus, Arrianus, & Q. Curtius è Latinis. Per
partes colligenda est. nam qui totam & ordine
scripserit, totus ad nos non venit. TERTIA
ROMANA est: in qua ubertim rerum & even-
tuum, eorumq; insignium: & quae plures scri-
ptores illustrarunt. O magnum, & pulchrum
imperium, & addo, diuturnum. Ideoq; non
mirum, si viris, factisq; breuia illa & fugacia
Graecorum superavit. Graeci praecipue va-
lent, (ait quispiam) Romani exemplis. Et
hercules ita est. non fuit gens, puto non erit,
quae plura vel in militia, vel in pace laudis &
virtutis suppeditabit. Itaq; ad hanc, mi adole-
scens, ad hanc segetem veri, manipulos frugum
collige, & in usum tuum reconde. Sed ut ordi-
ne fiat, ea ipsa diuidatur trifariam: in Vete-
rem, Mediam, Nouam. Prima mihi est, à
Regibus & urbe condita, ad Augustum: Media,
cum immutato statu ad principes ventum: No-
ua, cum iterum mutato, sedes ipsa Principatus
Byzan-

DE HISTORIA.

Byzantium est translata. In veteri scriptores
Græci Latiniq; sunt, sed præcipuè isti: Diony-
sius Halicarnassæus, Livius, Polybius, Plutar-
chus, Appianus: quibus compendia adiungere li-
ceat, Velleij, Flori, Eutropij, Orosii. Velleianum
laudabile fuit; sed potior pars perijt: iudicio &
ordine tamen scriptum, & quod exemplar ple-
niori Chronologia sit ad imitandum. Faciant
huic parti Fasti Romani à Carolo Sigonio editi,
& producti ad Augustum. At in Media, no-
ster Tacitus, Suetonius, Ammianus, Spartia-
nus, & adiuncti Cæsarei scriptores: è Græcis
autem, Dio Cassius, Io. Zonaras, Herodianus, le-
gendi. tum & compendium P. Victoris, itemq;
Eutropij. Adde ad seriem temporum, imò & re-
rum lucem, Onufrij Panuini Fastos, ab Augu-
sto ad Iustinianum diligenter & industriè consi-
gnatos. Noua superest, & in ea ferè Græci isti,
Zonaras, Zosimus, Procopius, Agathias, Nicetas
Choniates, Nicephorus Gregoras, Michaël Gly-
cas, Georgius Cedrenus: et si hic ultimus quidem
anilium sæpe fabellarum scriptor, & veri incu-
riosus vel ignarus. Iudicio legatur tamen, da-
bit, quod iuuet. De Romana habes: quarta erat
BARBARICA: quid nisi lacinia & spoliū ab illa

I. LIPSII EPISTOLA

veste? Nam hanc appello & intellego, cum scis-
so fracto q̄ imperio, maior pars ad Gallos, Germa-
nos, Turcas iuit, & alternatim hucusq̄ mansit.
Nec enim Gothos, Hunnos, Vandalos, Scythas,
aut illam facem huc includo: quæ maneat in Me-
dia aut Noua Romana, & ijs inserta nempe lege-
tur. Faciunt huc propriè tamen Iornandes, Pro-
copius, Agathias, & si qui tales. Sed meam
hanc Barbaricam varij scripsere, atq̄ ipsi ferè
Barbari, & addam barbarè. exstant q̄ Germa-
nici, Gallici, Britannici scriptores in unum cor-
pus nuper decorè & utiliter conducti ac vulga-
ti. Sunt & Annales à P. Pythæo editi, & cotti-
die huiusce argumenti prodeunt, iudicio eligen-
di. Scripsit & Carolus Sigonius de Regno Ita-
liæ, quod huc facit: & Io. Leunclavius Turcica,
uter q̄ mihi bonus & laudatus. Quid omitto?
Laonicus Chalcondylas se suggerit, in Turci-
cis Græcisq̄ legendus, item Guilielmus Tyri-
us, & alij in transmarinis sacrisq̄ bellis. Hem,
inquies, quanta materia, & quæ silua? quis
ingredietur sine errore, & egredietur? qui
ordine insistet, qui industriam & curam adfe-
ret, iam dicenda. Ordine, inquam, imprimis
opus. & ne confusa & vaga lectio sit, aut de-
sul-

DE HISTORIA.

sultoria & interrupta. Hoc plerisque euenit, & velut ex equo in equum se traiciunt, ab hoc scriptore in alium, ab isto argumento in aliud: quo fructu? momentanea voluptatis, & ut tempus suum, imò & se fallant. Apage tales istos, & ad Amadæum suum, aut si altius surgere velint, Heliodorum eant. Tu ordine leges, quem ex ipsis à me dictis etsi potes instituire: tamen in exemplo dabo. Ecce Romanam veterem legere decreui. ordiar ab vniuersali aliqua notitia, & compendium Flori aut Eutropij præmittam. Tum à capite & ab ipso Livi: cui Dionysium adiungam, & Polybium, Plutarchum, aut Appianum, sed quemq; in consimili argumento. Cum peregero, ad Mediam No- namq; veniam, & constantia eadem peragra- bo. Et de ordine facile est, atq; animi tantum decreto opus. Cura plus habet opera, & in ea omnis est legentium fructus. Duo in hac spe- cto, siue exigo: Attentionem & Electio- nem. Cum legis, non suspensum aut attonitum te habeat tantum nouitas aut magnitudo euen- tuum: insiste, inquire. cui rei hoc facere possit, & eequem usum sui præbere. Mora hic aliqua inter legendum & tarditas, fateor: sed nimirum, dicto

I. LIPSII EPISTOLA

dicto veteri, Nulla res potest esse eadem, festinata simul, & examinata: nec esse quidquam omnium, quod habeat laudem diligentiae, simul & gratiam celeritatis. Tarda igitur, & quare. Cum repperisti, tum sit Electio: id est, ut stilum capias & excerpas, & velut annonam in horrea quaedam reponas. Ea distincta etiam sint, & iam ante libri parati, meo iudicio, quattuor: in quos, quidquid eligis, conferas, & tuto deponas. Nam memoria sua qui credit tantum, quid agit? non dicam nihil, sed in breue proficit: nec vlla ea tam vasta, capax, tenax est, quae varia ista cum fide asseruet & reddat. Trade libris, in quo labor aliquis, & iterum in legendo remora: sed, mihi crede, utilis, si quidquam in omni ratione studiorum. Libri isti quattuor, totidem titulos habeant rerum, quas praecipue in Historijs notes: Memorabilium, Ritualium, Ciuilium, Moraliu. Quid Memorabilia? res designo magnas, & cum admiratione aut motu legendas, siue audiendas. ut est notabilis Potentia alicuius Regis aut populi, Opera, vel Opes, Prodigia, & noui aut insoliti Eventus. vno verbo, quidquid non obuium, & magni-

DE HISTORIA.

in magnitudine vel raritate se commendat. Ritualia autem, quae pertinent ad instituta, ritusque veteres, siue quos in publico, siue in privato usurpabant. Alios enim istos Orientales, Graeci, Romanique habuerunt: & ab ea notitia seria omnis intelligentia dependet veterum scriptorum. At Ciuilia appello, quae ad vitam & regimen commune faciunt, & hanc hominum iure & legibus deuinctam societatem. Moralia denique ea, quae priuatim ad nos & vitam formandam, virtutibus amicam, vitij alienam. Ecce quattuor hi sunt Tituli: quid superest? referre in eos, quidquid ad singulos illos facit, siue sententiarum, siue exemplorum: idque cum hac Attentionis cura, & Iudicij item norma. Dic clarius, inquires. Nempe quisque liber alios & minores suos titulos habeat: quia Natura & Memoria ordine & partitione ista gaudent. Vt ille MEMORABILIVM, in ea, quae attigi: nec nimis sanè argumentum hoc patet. Latissimè RITVALIVM: ac diuidamus in Sacra & Profana. Sacra omnia publica: continentque Deos & eorum Nomina, item Cognomina: tum Insignia, Munia, Cultum, & Tempia. Amplius, Sacerdotes, aliosque ministros:

I. LIPSII EPISTOLA

stros: tum Sacrificia ipsa, Hostias, Ceremonias & ritus: deniq; Verba solennia, & Formulas precationum, & quidquid illos aut ista spectat. Nimis partiri tenue est, & hinc inutile: spernes. Iam Profana sequuntur: atq; ea duplicia, Publica & Priuata. Illa, quae communiter omnes aut plures tangunt; & publicis legibus aut institutis continentur: ut Magistratus, & singulorum Munia, aut Ornamenta: ut Senatus, Militia, Prouincia, Praefectura, Officia, & quidquid istis adheret. tum Leges, Iudicia, & eorum ratio, Supplicia, Tormenta, Poena: latiora deniq; Ludi & Spectacula, Triumphus & Festi dies. Ad Priuata venio, & his subiungo Nuptias, Funera, Balnea, Conuiuia, Vestes, Nummos, & quae longum sit complecti. Minuta enim etiam intercurreunt: sed in sermone ostendenda potius; quam scripto adumbranda. Imò adeò minuta, ut nec Titulos suos grandiores quaedam habeant: sed verbis signentur, & ordine isto litterarum. Ac si me audis, in plerisque eo vteris: quia non ad famam aut pompam ista disponuntur, sed tui usus. Sequuntur & excipiunt CIVILIA: utilissima pars his, quos genus aut destinatio ad rem-

DE HISTORIA

republicam vocant. Is liber tres partes ha-
beat, antiquâ & verissimâ diuisione: status Re-
gum, Optimatum, Populi. In quâq; parte
notes, & eò referas, quæ firmanda sint, aut ver-
tenda: & hæc ipsa subtilius diuidas, vt à me in
Politicis factum. Vtar hoc exemplo cum fidu-
ciâ: & conueniant vel qui noua adferunt, aut
vetera referunt, non dabunt in ordine & me-
thodo, quod fortasse anteponas. Sed vnum et-
iam addi potest, & debet. Vel vt sententiæ
plures vni rei congerantur; vel vt exempla.
Hanc postremam partem non neglexi equidem,
& habeo sepositam, imò paratam in scrinijs, &
quidam exire. Sed tu aut alius non ideò re-
mitte: & quisq; sibi vel firmitus, vel iucundius
certè, tale aliquid struit. Postrema sunt MO-
RALIA. quorum dua partes, Virtutum & Viti-
orum. Velim & hæc disponi ordine litterarum:
sedita, vt Virtute præeunte, cuiq; bina sua Vi-
tia sint subiuncta. Traho eodem etiam non Vi-
tia propriè, sed Affectus: & Cupidinum stirpes,
Spem, Metum, Gaudium, Dolorem adnecto:
tum etiam de Beatâ Vitâ, & quidquid in Ethi-
cis sedem suam habet. Sed satis hæc communia
in scripto præiui: in sermone alia. illud in fine te
sedulo

I. LIPSII DE HISTORIA.

Sedulò monco, ut ne mole hac, quæ videtur, absterreare. Quid enim? tam varia, tum multa? inquires. Nihil est: imò incredibile, quàm citò hæc suscipiantur, & fiant, si tenor & constantia sit, & quisq; dies opus suum probet. Triennij res, non diu te differo: mihi si olim talis monitor, vel citiùs absoluissem. Cogitate in ipso flore æui, & corpus labori, animum intentioni ferenda esse: quid cessamus,

Dum res, & ætas, & sororum

Fila trium patiuntur atra?

Non fac, mi adolescens: cui ego factum consultumq; tuâ causâ volo, tum & Cl. mi V. Legati regij: qui etsi connubio tantum tibi parens, tamen vel naturalem affectus & curâ præstat. Tu agnosce, illum cole, me & bona ama.

Louanij, III. Non. Decemb.


∞ . I . C .

F I N I S .



- In hoc libello continentur
- 1 Bibliographi Moralis Henrici
Iulij Schönwälb.
 - 2 Iusti Lipsij de magistratibus
veteris Populi Romani.
 - 3 M. Andreae Camerarij orati-
ones Scholasticae.
 - 4 Respublica Iudaica auctore
Sebastiano Castatione.
 - 5 M. Iohannis Fuchti senten-
tia de moribus.
 - 6 Iohannis Caselij libellus de
pronunciatione latini sermonis.

FINIS



AB 153846 (1)

ULB Halle

3

003 856 739





8

VD 17

2







V. CL. 3
IVSTI LIPSII
EPISTOLA,
DE
HISTORiarVM
LECTIONE



HELMÆSTADĪ,
Apud HENNINGVM MVLLERVM,

clō lo xll.